



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt diuino se amori tradat anima. 30

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

quiescit. Magna & stupenda dignatio sponsi, quod
quiescere facit animam contemplantem in sinu
suo, in quo omnem inuenit suauitatem, ut iam
merito dicat: In pace in idipsum dormiam & re-
quiescam. Hinc etenim dicit: Leua eius sub capi-
te meo, & dextera illius amplexabitur me, ubi
per caput intelligitur suprema pars animae. Si-
cut enim caput praeter ceteris membris amplius
solet exornari: ita quoque spiritualis pulchritu-
do praecipue consistit in suprema parte rationa-
lis animae, in qua imago gloriosissimae Trinita-
tis inuenitur. Vnde Elaias: Gaudens gaudebo in
domino, quia induit me vestimēto salutis, et tan-
quam sponsam decorauit me.

Qualiter anima diuino sese amori debeat
mancipare. Cap. XXX.

O Anima nobilis, si quid apud dilectum tu-
um efficere desideras, assume tibi amo-
rem Dei. Nihil enim fortius est anima cha-
ritatis telo vulnerata, quippe quae non mundum
hunc tantum, sed ipsum quam inuincibilem De-
um vincit. Est reuera vigorosus admodum & a-
cutus amor, qui diuinam abyssum penetrare &
transflagitare potest. Noli o anima negligere sa-
gittis amoris impetere dilectum tuum, quin po-
tius sine cessatōe vulnera eum, donec eius actu
ali amore capi & constringi merearis. Ait quo-
dam loco ipse dominus: Vulnerasti cor meum
soror mea, sponsa vulnerasti cor meum, id est,
immensam pulchritudinem meam & superdeli-
ciosissimam dulcedinem meam desiderijs tuis vi-
olenter penetraſti, o soror mea sponsa, quam in-
comparabiliter te amare oportet Deum tuum,
quae

LIBER I.

quæ tāta cognatione, vt soror & spōsa Christo
 coniungeris, qui signum suum impressit fronti
 tuæ, quod in sempiternum deleri non poterit, te
 que preciosissimo & inæstimabili thesauro, vt-
 pote seipso, redimere dignatus est, per quem ni-
 hil tibi negare poterit, si secundum eius benepla-
 citum viuere, & amoris sui iugiter esse memor
 curaueris. ¶ Si vero istud neglexeris, & stercore
 atque limo vanarum creaturarum te immiscue-
 ris, certa esto, q̄a cito velociter perditura es no-
 bilitatem tuam, vtpote ingrata existens charita-
 ti suæ, tradetque te tortoribus secundum iustiti-
 am & æternam ordinationem suam, qui nihil
 in te relinquent impunitum. Tu vero Dei simili-
 tudine & tua ipsius pulchritudine spoliata simul
 cum ipsis horribiliter deformaberis. Attamen
 esse tuum in perpetuum durabit. Quia enim ad
 æternæ essentiæ imaginem & similitudinem fa-
 cta es, ad possidendum perpetuo summum bo-
 num, ad contemplandum æternam lucem, idque
 neglexisti, propter hoc iure in perpetuum, velis
 nolis, æternas tenebras et carnales demonum a-
 spectus intueri cogeris. Et pro eo quod perenni
 iucunditate frui deberes, perpetua tormenta su-
 stinere & sentire compelleris, eo quod sempiter-
 no bono non adhæseris, Deo videlicet tuo, qui
 se ad hoc tecum vniuit & te sibi similem fecit,
 quique diuinam virtutem suam, & lumen vul-
 tus sui, insuper & beneplaciti sui cognitionem
 tibi infudit, quatenus ei seruire, eumq̄ cognosce-
 re & amare debuisses.

Qualiter nos ad amandū Deum intra nos
 conuertere debeamus. Cap. XXXI.

F Quisquis